





QVID
 VELIT ET POSSIT
 RERVM
 CONCORDIA DISCORDS
 EX HORAT. L. I. EP. XII. 19.
 PRAEFATVS

ORATIONEM PVBLICAM
 INDICIT
 M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,
 Litteris CHRISTOPH. MATTHÆI.

XV.



Dies in fastis CONCORDIAE nomine signata, nostraeque scholae ob singulare beneficium sacra, lautas illas epulas in memoriam revocat, quas ante saeculum, anno nimirum MDCXXXXIX, comes Palatinus, Carolus Gustavus, summus dux exercitus caesariani, post coalitam pacem Vestphalicam principibus et legatis Norimbergae publice fecit. Quippe in quibus inter cetera ornamenta conuiuialia CONCORDIA principatum fere obtinebat. Namque in mensa varii generis oblectamentis refertissima arcus his verbis inscriptus eminebat: ARCVS. TRIVMPHALIS. CONCORDIAE. OB. FELICITER. PACATAM. GERMANIAM. POSITVS, Ex altera illius parte haec legebantur:

PACE. BENIGNVS. AMOR. IVNGIT. CONCORDIA. CORDA.

TERRA. TROPHAEA. GERENS. ASTRA. SERENA, REFERT.

Inferiori loco dea Concordia erat posita, dextra manu schedulam cum quatuor oooo tenens, et hanc epigraphen: VNVMQVE. NECESSE. EST. Post eam leo clypeo et gladio incumbens conspiciebatur, his additis verbis: AMAT. CONCORDIA. CVRAM. a) Quae omnia eo fere valebant, ut lectores et spectatores intelligerent, concordiam in omni vita tam necessariam esse, quam fructuosam.

Quod enim nervi corpori, hoc concordia humanae societati praestat. Imo fundamentum ex domo, gubernaculum ex naui, et solem in mundo tollere videntur, qui concordiam ex republica proscribunt. Quae licet certa sint atque adeo explorata, ut pretium, florem, et salutem ciuitatum ex hac virtute haud immerito metiamur: idoneas tamen causas ii habere videntur, qui commendatissimam hanc concordiam et omnibus votis expetendam cum certa discordia combinari posse, imo recte copulari, adfirmant, ut adpareat, quod Horatius dixit, *quid velit et possit rerum concordia discors?*

Haud equidem ignoro, philosophos tantum non omnes negare, idem simul esse et non esse posse. Quorum coryphaeus, ARISTOTELES, *τα ἐναντία*, inquit, *ἔπεφνε συνδυάζειν*, i. e. contraria combinari non possunt: b) cuius sententiam DVRANDVS, c) GREGORIVS, d) ADAMVS, e) SONCINAS, f) ANT. ANDREAS, g) BVRLAEVS, h) et inprimis CONIMBRICENSES i) amplectuntur. Neque nescio, hoc principium contradictionis, vel, ut CICERO adpellat, repugnantiae, ita tentatum esse atque experimentis confirmatum, ut nostrae aetatis philosophi in serie veritatum illud pro primo et ultimo habeant, unde deduci atque intelligi reliquae debent, et in quo, veluti fundamento, omnis omnium rerum, inprimis in facto positurum, ratio nititur.

Quem-

a) *Theatr. Europ.* Vol. VI. p. 939. sqq.

b) de generat. et corrupt. L. II. c. 3.

c) Prolog. Sentent. Qu. 2.

d) I. Distinct. XVII. Qu. III. art. 2.

e) Distinct.

I. Qu. 4.

f) *Metaphys.* X. Qu. 22.

g) ad h. l. Qu. 5.

h) *Traët.* de

intentione formarum. c. 2.

i) *Commentar.* in Aristotel. ad h. l. p. 399. sqq.

Quemadmodum autem repugnantium non una eademque est ratio: ita fieri omnino potest, et reuera fit, ut res duae, quae simpliciter dissidere videntur, comparate confocientur et coalescant. Quam sententiam veteres philosophi his verbis expresserunt: *duae qualitates contrariae in gradibus remissis possunt eidem subiecto inesse*: eandemque nominatim THOMAS DE AQUINO, k) CAIETANVS, l) HENRICVS GANDAVENSIS, m) SCOTVS, n) CAPREOLVS, o) MARSILIVS, p) MAIOR, q) ARGENTINAS, r) IAVELLVS, s) SOTVS, ff) et CONIMBRICENSES t) copiose persequuntur: quibus AVGVSTINVM addimus, qui, *possunt, inquit, u) contraria non aduersari inuicem, sed ex alterutro temperari, sicut in corpore siccitas et humiditas, calor et frigus ita coeunt, ut ex eorum temperatione bona valetudo constet.*

Haec igitur concordia discors quemadmodum cum ipso mundo initium sumit, et adhuc sensibus ac animis nostris obuerfatur; ita nullo non tempore viri sapientes eam sunt admirati. Primo loco SIRACIDEM testem adfero, qui eam consideratione dignissimam indicat, dicens: *w) Contemplare opera Altissimi, quorum bina binis aduersari videntur, et contraria se mutuo sustinent.* Quem admirabilem repugnantium rerum in natura concentum et consensionem EMPEDOCLES contemplans, et obseruans, tam diuersa in unum identidem coire, alterumque alterum temperare atque coercere, concinna adpellatione *Φιλεχθρον μίξιν*, i. e. mixturam ex aduersis constantem, nominauit, tam longe lateque in hac rerum uniuersitate dominantem, ut his veluti fulcris tota mundi compages inniti videatur. Multis in hanc sententiam verbis PLATO etiam disputat, x) qui, mundum ex terra et igni, principiis inter se contrariis, quorum alterum est leuissimum, alterum grauissimum, constructum esse, sentiens, disertis verbis adfirmat, rerum naturalium principia omnino repugnantia esse: illa vero coniungi et confociari non posse, nisi aëris atque aquae vinculo intercedente. Quae ubi constantur, atque in unum coeunt, mirificus concentus efficitur, ita, ut, quod poeta cecinit, y)

- - etiam discordia fidas

Conseruent elementa vices.

Hac mente OVIDIVS, de generatione et ortu rerum exponens, eleganter huius mundi primordia ita describit: z)

Quippe vbi temperiem sumere humorque calorque,

Concipiunt, et ab his oriuntur cuncta duobus.

Quinque sit ignis aquae pugnax, vapor humidus omnes

Res creat, et CONCORS DISCORDIA FETIBVS APTA EST.

Eandem

* 2

k) P. I Qu. XVI. art. 4. l) ad h. l. m) Quodlibet XII. Qu. 12. n) L. III. Dist. II. Qu. 9. o) L. I. Dist. XVII. Qu. II. art. 2. p) L. III. Dist. XI. art. 2. q) Dist. XV. Qu. 25. r) Art. III. s) Metaphys. L. X. Qu. 13. ff) Physic. L. II. c. I. t) l. c. p. 401. sqq. u) De nat. et grat. w) XXXIII, 16. conf. cap. XXXIII, 24. x) in Timaeo. p. 39. edit. Serrani y) Ruft. Helpid. 9. z) Metamorph. L. I. 88.

Eandem rationem naturae ex contrariis mirifice conspirantis contemplatus MARCELLVS PALINGENIVS, et in stuporem abreptus, sic philosophatur; a)

- - - errant, qui materiam caelestibus vllam
Corporibus non esse, putent; contraria in illis
Quippe forent, et ab his corrupta aliquando perirent.
Sic aiunt. Verum haec ratio, me iudice, peccat.
Nam neque naturae culpa est, si corpora soluit
Longa dies, neque corrumpunt contraria per se,
Si aequales habeant vires, nisi fortius vnum
Sit reliquo, quia, quum vis aequa est atque vna potestas,
Tunc fit par pugna, et nulli victoria cedit.
Ergo Deus, cupiens aeternum condere caelum,
Optima naturae prima ac purissima legit,
Temperiemque illis talem addidit, vt nihil vnquam
Se laedant, semperque habeant contraria pacem.

Consentit SENECA, mundus, inquiens, b) ex diuersis compositus est. Nonne vides, quam contraria inter se sint elementa, graua et leuia, frigida et calida, humida et sicca. Non ad vnam natura formam opus suum praestat, sed ipsa varietate sese iactat. Alia maiora, alia aliis velociora fecit: alia validiora, alia temperatiora. Tota huius mundi concordia ex discordibus constat. LACTANTIUS autem hanc sententiam luculento et copioso veluti commentario illustrat, ita pronuntians; c) duo principia inueniuntur, quae diuersam et contrariam sibi habent potestatem, calor et humor, quae mirabiliter Deus ad sustentanda et gignenda omnia excogitauit. Nam, quum virtus Dei sit in calore et igni; nisi ardorem vimque eius, admista humoris ac frigoris materia, temperasset, nec nasci quidquam, nec cohaerere potuisset, quin statim consagratiōe interiret, quidquid esse coepisset Vnde et philosophi quidam et poetae discordia mundum constare, dixerunt. etc. Vnde autem vel quomodo Deus haec duo principalia, ignem et aquam vel accenderit vel eliquauerit, solus scire potest, qui fecit. Quibus verbis procul dubio HERACLITI, ARISTOTELIS, et aliorum sententiam innuit, quorum ille, vt auctor est DIOGENES LAERTIVS, d) δια της ἐναντιότητος ἡμεροδη τα ὄντα, i. e. per contrarietatem omnia, quae existunt, conspirare, adfirmavit: hic autem coniungas, inquit, crispa et non crispa, consentiens et dissentiens, consonum et dissonum, et sic ex omnibus vnum, atque ex vno omnia consistunt. e) Et alio loco f) idem philosophus contrarium vtile, exque rebus dissimilibus pulcherrimum concentum produci, imo ex discordia nasci omnia, statuit. De quo argumentum prolixis verbis aliquando vir celeberrimus, GOTTF. OLEARIVS disputauit g)

Et

a) Zodiac. vit. L. XI. p. 291. b) Quaest. Natur. L. VII. 27. c) De orig. error. L. II. c. 9.

d) Vit. Philos. IX. 7. e) De mundo. c. V. f) Ethic. XIII. 2. g) in II. Dissert. de principio et genesi rerum ex mente Heracliti, Thom. Stanleii Hist. Philos. p. 839. sqq. insertis.

Et quis, quaeso, nostrum tam obtuso est animo et hebeti ingenio, qui quotidie ea obseruet, quae separatim considerata omnino ab se inuicem diffident, quum vero commisceantur et confociata in unum conflantur, mutua sua virtute ita temperantur, ut aures, palatum, oculos, imo omnes fere sensus incredibili voluptate perfundant? Quis non miratur, ex diuersis et contrariis tempestatis vicibus annum ita perfici atque exornari, ut, AVSONIO interprete, h)

*Dispositis totum vicibus variata per annum
Egelidae tepeant hiemes, rabidosque per aestus
Adspirent tenues frigus subtile aquilones,
Discolor et variet suaues Pomona sapes.*

Inprimis haec concordia discors ex arte vocibus atque fidibus scienter canendi elucet, de qua iam sua aetate CICERO disserit, ubi *in vocibus*, inquit, *) *ac tibiis cantuque ipso ac fidibus concertus quidam ex distinctis sonis est tenendus, quem immutatam ac discrepantem aures eruditae ferre non possunt: isque concertus et dissimillarum vocum moderatione concursus efficitur et congruens.* De iis autem, quae, ne palatum exsurdent, ita conficiuntur, ut arida et sicca, dulcia atque amara, lenia et acida in vnum ferculum coeant, concinne SE-NECA i) disputat, coquorum peritiam admirans, cibos varios ita parantium, ut *in vnum sapes cogantur, et multa, per naturam disincta, mirifice per artem coeant et cohaereant.* Silentio iam praetermissis omnes fere artifices, quorum opera discordi quadam concordia et coerunt et constant.

Quemadmodum autem inter omnes res conditas homines opificium omnium nobilissimum referunt: ita etiam in eorum animis et corporibus concordia discors admiratione dignissima reperitur. Quod enim VIRGILIUS de diuersa diuersorum locorum in uno mundo indole ac natura cecinit: k)

*Hic segetes, illic veniunt felicius vnae,
Arbori fetus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina:*

id haud male ad variam variorum hominum conditionem adcommo-
daueris, in quibus diuersitas vultus, ingenii, morum, et studiorum
luculentum diuini et sapientissimi opificis testimonium praestat et documentum.
Quae dum LACTANTIUS secum perpendit, admiratione plenus, ita disputat: l) *ex
rebus diuersis ac repugnantibus homo factus est, sicut ipse mundus ex luce et
tenebris, ex vita et morte: quae duo inter se pugnare in homine praecepit, ut,
si anima superauerit, quae ex Deo oritur, sit immortalis, et in perpetua luce
versetur; si autem corpus vicerit animam, ditionique subiecerit, sit in tenebris
sempiternis et morte.* Miratur hanc hominum diuersitatem HOMERVS,
ita ponuntians: m)

h) Epist. XXIV, 96. sqq.
l. 54. sqq.

*) de Republ. L. II.

i) Ep. 95.

k) Georgic.

l) l. c. L. II. c. 12.

m) Odyss. ζ., 228.

ἄλλοις γὰρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτερεπεται ἔργοις,
quae verba TAVBMANNVS conuenienter hunc in modum conuertit :

*Cuique suum caput est et pileus. Adprobat Hermes,
Improbat Hermogenes; nec idem placet omnibus unquam.*

Miratur PINDARVS, quum ait: *) *μία ἐχ' ἀπαντος ἀμμε θερφει μελετα,*
i. e. non eadem nos omnes exercitatio delectat: et alio loco: *ἡμῶν ὅσα τὰ
σώματα τον ἀριθμον, τοσαυτῆς ἐστὶ τροπῆς ἰδεῖν,* i. e. quot habemus corpora,
tot etiam mores nostri obseruantur.

Miratur PERSIVS, his vsus verbis: n)

*Mille hominum species, et rerum discolor vsus.
Velle suum cuique est: nec voto viuitur vno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini.
Hic satur irriguus mauult turgescere somno
Hic campo indulget. Hunc alea decoquit: ille
In Venerem putris etc.*

Miratur etiam HORATIVS, sic canens: o)

*Diuerfis diuerfa placent. Sua gaudia cuique.
Castor gaudet equis: ouo prognatus eodem
Pugnis. Quot capitum viuunt, totidem studiorum
Millia.*

Et quod inprimis ad varia variorum hominum ingenia attinet, fuerunt,
qui cum variis metallis ea compararent, alia aurea, alia plumbea, alia ferrea,
alia ex diuersis mixta cognominantes. Amplius ducenta illorum genera IO.
CHR. LANGIVS in medium adfert, breuiterque depingit. p) *Dantur, in-
quit, ingenia abiecta, abstrusa, accurata, actiua, aculeata, acuta; ad-
miranda, autodidacta, ambigua, ambitiosa, ampla, angelica, angusta, alio-
di-
dacta, aperta, adprehensua, arcana, arcta, arida, aspera, audacia, bellicosa,
bruta, candida, casta, celeria, certa, clara, coacta, collectiua, colorata, com-
municatiua, concisa, confidentia, confusa, consentientia, conspicua, consummata,
contenta, contracta, crassa, cunctabunda, curiosa, debilia, degenera, demissa,
depressa, desidiuosa, desultoria, determinata, diabolica, didactica, difficilia,
diffidentia, diffusa, discernentia, diharmonica, diuina, docilia, dubia, dura,
elata, elegantia, enodia, excelsa, excitata, expedita, extemporalia, extraor-
di-
naria, extrema, facilia, famelica, fatua, felicia, ferocia, ferrea, fixa, flexuosa,
florida, foecunda, frigida, fructiua, furibunda, habilia, haesitantia, harmonica,
hebescentia, heroica, hilaria, honesta, humilia, iactabunda, ieiuna, ignaua, i-
nea, ignobilia, immobilia, imperfecta, impetuosa, implicata, improvida, impru-
dentia, inania, inchoata, inconsiderantia, indeterminata, indifferentia, indo-
cilia*

*) Olymp. Θ. 160. n) Sat. V. 52. sqq. o) L. II. Sat. I. 25. sqq. p) in Pro-
theoria erudit. human. uniu. c. IV. p. 105. sqq.

cilia, infelicia, inflata, ingenua, inhabilia, innocua, inquieta, introuersa, inuentiua, inuestigantia, imunda, irenica, laboriosa, laeuigata, languida, latentia, lenia, lenta, liberalia, ludibunda, luxuriantia, macilentia, magna, maiestatica, mansueta, mathematica, matura, mechanica, medica, mediocria, moderata, modesta, mobilia, mollia, multiplicia, mutila, nauisabunda, nobilia, nodosa, obfcura, obsequiosa, obtusa, obuia, oeconomica, ordinaria, ordinata, oscitantia, otiosa, pacifica, particularia, parua, patientia, paupertina, penetrantia, perfecta, perfunctoria, perplexa, perseuerantia, pertaesa, peruersa, peruicacia, philologica, philosophica, pinguis, placida, plana, plebeia, pluriformia, poetica, polemica, politica, praecipitantia, praecocia, praemeditantia, priuata, prodigiosa, profana, profunda, progredientia, proletaria, proluxa, prouida, prudentia, publica, pungentia, quaestiosa, quieta, rara, recta, regia, remissua, retentiua, rigida, sacra, sagacia, satura, scholastica, sciscitantia, scrupulosa, semiperfecta, sera, seria, seruilia simplicia, simulantia, sincera, sobria, solida, sordida, speculatiua, spinosa, spiritiosa, splendida, stabilia, statistica, sterilia, studiosa, stupenda, stupida, sublimia, subfidentia, subtilia, superficialia, suspicacia, tarda, technica, temeraria, tempestiua, tempestiua, temulenta, theologica, timida, torpida, tortuosa, tranquilla, tristia, umida, turbida, turpia, vagabunda, uasta, uegeta, uelocia, uenerabilia, uersatilia, uerspellia, uirena, uiuida, umbratica, uisiformia, uniuersalia, uolantia, uoluptuosa, uisurpantia, uulgaria De hac ingeniorum uarietate qui plura legere desiderat, ex BARCLAVII, q) HVARTI, r) NOLLII, s) BESOLDI, t) CHARRONII, u) etc. libris sitim facile restinguet.

Quid? quod homini ex contrariis principiis constanti ab artis salutaris peritis ad restituendam sanitatem haud raro, neque infelici successu, contraria remedia proponantur? Testatur hoc MARCELLVS PALINGENIVS, ita nos exhortans: w)

festina, morbi cognoscere causam.

Vtique illi facile occurras, contraria sume.

Opposita oppositis curantur. Frigora si te

Laeferunt, calida opponas. Si cura laboris

Sive cibus nimius nocuit, contraria semper

Exerce: haec sese expellunt perimuntque vicissim

Neque etiam ex republica bene constituta concors discordia proscribenda esse uidetur. Nam si contempleremur eam societatem, quae ex magistratibus et ciuibus, dominis et seruis, heris et famulis, coit et continetur, exdiparibus certe et quod modo repugnantibus cohaeret, ita tamen comparatis, ut, quae contraria vel sunt vel videntur, aut sponte aut ui coacta in vnam compagem coalescant. Si porro intra pomoeria vnus cinitatis tot homines diuersarum aetatum, nationum, linguarum, artium, adfectu-

um

q) Icon. anim. populor.

r) Scrutin. ingenior. u) Traite de la Sageffe.

s) Sanctuar. natur.

t) de natur.

w) Zod. vit. L. V. p. 109.

um, et studiorum consideramus, vere et conuenienter SENECAM sensisse, intelligemus, qui, *societas nostra*, inquit, x) *lapidum fornicationi simillima est, quae casura, nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinetur*. Licet enim ea concordia in republica nihil valeat, quae amicitiam simulat, animo autem odia et insidias coquit, de qua recte LVCANVS; y)

Temporis angusti mansit concordia discors:

illa tamen est utilis atque necessaria, quae discrepantium ciuium animos ac studia copulat et in vnum cogit. Bene hanc in sententiam IO. BODINVS quemadmodum, ait, z) *Deus optimus maximus, uniuersitatis ac naturae parens, mundum hunc ex orbium contrariis inter se conuersionibus, tum ex siderum ac elementorum discrepantibus naturis, tum etiam ex animantium stirpiumque contraria vi ac potestate coagmentatum mirabili concordia moderatur: sic etiam Rex ex dissidentium inter se magistratuum dissimilitudine concordiam ac salutem ciuium tuetur. Atque uti in fidibus et cantu ipso, quem absurdum et eundem aures eruditae ferre non possunt, concentus ex dissimillimis vocibus, grauibus nempe et acutis, itemque mediis, inter utrasque artificiose confusis ac temperatis, discordia quaedam concors efficitur et congruens: ita quoque ex potentibus ac tenuibus, ex summis et infimis, tum etiam mediis ordinibus interiectis, atque adeo ex ipsa magistratuum inter se discordia, salus omnium concors existit, arctissimum in omni republica vinculum incolumitatis*. Et MACHIAVELLVS, de eodem disputans argumento, exemplis in medium adlatis, demonstrat, a) discordias, quae inter plebem et senatum Romanum identidem intercefferunt, plurimum momentum attulisse, vt illa respublica libera simul et potens efficeretur.

His praemissis, sigillatim nunc ad scholas deueniendum et ostendendum erat, quid in his sapientiae officinis valeat et proficiat concordia discors. At chartae angustia hoc institutum in aliud tempus reicere nos iubet. Iam igitur nihil amplius restat, quam vt eam causam indicemus, quae ad hanc scriptionem suscipiendam nos excitauit. Inter alia nempe beneficia, quae scholam nostram ornant, eiusque alumnis, lautiori fortuna euolutis, obstrucantur, stipendium ECCARDO-RICHTERIANVM locum occupat haud postremum. Cuius auctor sapienti consilio decreuit, vt die Concordiae singulis annis huius liberalitatis memoria publica oratione ab illo recoleretur, quem scholae Patroni eodem dignum iudicarent. Qua munificentia adfectus, et veluti viatico ad inchoanda studia academica instructus iuuenis, modestia, diligentia, et probitate inter ceteros eminentes

CAR. GOTTFR. GLAESER, *Gelenau. Misp.*

animum pium, gratum, et beneficii memorem ita declarabit, ut simul *fabulas et mendacia historiae patientis Iesu* adiecta oratione Latina complectatur. Quod argumentum quo conuenientius praesenti tempori videtur, eo facilius a Vobis, Patroni et Fautores, nos impetraturos speramus, ut ad audiendum boni nominis et ominis oratorem cras, finitis ante meridiem sacris, frequentes accedatis. P. P. *Freib.*

a. d. XX Febr. A R, G. MDCCXXXIX.

x) Ep. 95. y) de bello Pharsal. L. I. z) de republ. L. IV. c. V. p. 701.
a) Disp. de republ. c. IV.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle
002 103 591 3



TAJOL







15

QVID
VELIT ET POSSIT
RERVM
CONCORDIA DISCORDS
EX HORAT. L. I. EP. XII. 19.
P R A E F A T V S

ORATIONEM PVBLICAM
INDICIT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,
Litteris CHRISTOPH. MATTHÆI.

XV.

